Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 825
Quelle:
Copyright:

pistolis constans, quarum tamen quae XI. esse debet, ad XIII. trajecta est. Vide de iis *Fabricii Cod. Apocryph. N. T.* P. I. p. 880. In calce nostra: *Iste liber est comparatus pro II. Sexag. gross. minus duobus gross. Tempore domini Georgij prioris in noua valla ordinis karthusien. Anno domini vt Supra scriptum est.* Igitur 1399.

VI. *fol.* 91. non minus eleganti manu *Incipit Opus Origenis tam in prosa quam in Glosa Super tractatu qui dicitur Cantica canticorum.* Norunt Eruditi, *Origenem* bis in *Cantica* scripsisse, aut planeter, siquidem *Homiliae* II. quas ab *Hieronymo* latine redditas habemus, neque ad illum, quem Juvenis scripserat, *Tomum*, neque ad X. illos, quorum pars interprete *Rufino* superest, pertineant. Nihil horum hic, sed Paraphrasis metrica, quam Titulus incommode *Prosam* adpellat, subsequentibus brevibus Postillis, sive *Glossa*, et quidem in tota *Cantica*, ut adeo, cum, quae restant *Origeniana*, Caput II. non egrediantur, aetate Paraphrastae aut integra superfuisse, quod vix putem, aut mentiri Titulum necesse sit. Praeambula porro nobis tria sunt. Primo commendatur Autor:

Doctus Origenes cum doctos vicerit omnes
In libris alijs, hoc in libro salomonis
Semet transcendens fuit eius cantica tractans &c.

Hieronymi Epistolam, qua *Damaso* II. *Origenis Homilias* inscribit, versibus hic reddidit Autor. Sequitur *Commendatio operis sequentis:*

Omni plena bono salomonis cantica regis —

Cur vero te teneo? Lector! *Petri de Riga* Paraphrasis est ex ejus *Aurora* depromta, quam *Vol.* I. P. I. a *col.* 327. multis Codicibus retuli. Quis *Glossam* prosaicam illi ad calcem adjecerit, ignoro. Intercipitur vero illa Narratione prodigiali de Juvene quodam, cujus caput in pugna resectum B. V. *Mariae* interventu tam diu vivum servatum fuit, dum de admissis noxis Sacerdoti confiteretur, et sacra mysteria susciperet. Praemissa adhortatione ad eam colendam ita orditur: *Johannes quondam rex iherusalem* (Briennius, Comes Marchiae ✠ 1237.) *cum cessisset regno eidem Friderico* (II.) *imperatori genero suo, ad mandatum Domini Gregorij IX. sedis apostolice pontificis obsedit castrum quod dicitur apud sanctum seueratum* &c. To *eidem Friderico* denotat Narrationem excerptam e quodam Tractatu de dicto Imperatore. Ad calcem *Glossae* nova Formula miniata: